

Sol oriatur hora 4. in numeris albis, & tu quoque 4. accipe in altero ordine siue linea posteriore inter numeros nigros. Ab illo puncto iam primum inuento imaginare lineam aliam itidem parallelam illis lineis horariis idque sursum usque ad Horizontem tortuosum, Eam lineam diei appellabimus. Et quamuis duae istae lineae diei & noctis in suo situ sint transpositae, linea namque diei lineae noctis locum occupat, & vicissim haec illius, hoc tamen nos etiam inuitos facere coegit ipsa instrumenti proportio, quod alias nimirum protendi in longum oportebat. Iam itaque diei aut noctis longitudinem scire volens numeros illos albos inspicere proxime ad contactum lineae diei & Horizontis, statimque isti diei, albi aut noctis tibi monstrabunt longitudinem.

PROBLEMA QVARTVM.

Quaratione horas ab ortu & ad ortum Solis, similiter ab occasu quoque & ad occasum eiusdem, nec non horas Planetarum inuenias?

QUod si horas tum Planetarias, tum illas quae vel ab ortu vel occasu numerantur scire defyderas, iam te ex problemate 6. primo horam communem praescire oportet, statim deinde illam iam inuentam cum minutis suis quere inter numeros albos (si tamen tunc tempus sit ante meridianum) qui deorsum ad dextram connumerantur, horas scilicet istas ingressus. Sin vero hora communis iam inuenta pomeridiana fuerit, quere numerum illius inter horas ingressus ascendendo. Mox ab ea hora siue minuto horam duc imaginariam tantum sed parallelam tamen lineis horarum ingressus usque ad lineam diei, quam & ex problemate proximo iam es imaginatus. Atque in eo linearum contactu horam inuenies ab ortu siue occasu, nec non & planetariam, modo distantia lineae diligentius paulo obseruabis. Eius quoque rei intellectum satis magnum tibi comparabis vel ex eo tantum quod Horizonti semper est adscriptum, Sed & exemplo hoc idem cognosce, Sit ortus Solis infra 4. & 5. directe in medio, itaque linea diei (dummodo infra, inter 4. & 5. in numeris nigris incipiendo, aequidistanter omnino imagineris sursum versus) continget directe horam 15. inter numeros albos. Esto etiam inuenero iam ex problemate primo huius secundae partis per radios solares horam 7. minuto 30. ante meridiem, atque ideo deinceps in ordine albo horarum ingressus accipi horas $7\frac{3}{4}$, idque poenitus factum est iuxta caput Canis minoris, unde aequidistanter lineis horarum ingressus imaginarie tamen ad leuam progressus sum usque ad lineam diei, qui sane contactus linearum factus est super hora tertia ab ortu, pro numerorum alboque indicio, pro nigrorum vero extra Horizontem super hora 12. ab occasu. Albi etenim illi prope horizontem designant ante meridiem quot adhuc horae intersint usque ad solis occasum. Et ille contactus horam ex planetariis 3. demonstrat. Exemplum vero horae pomeridianae esto hoc tibi, Sit hora 2. cum minutis 30. post meridiem, tunc horam illam Cordi Leonis proximam accipio, ductaque sit deinceps linea imaginaria ad lineam diei usque contactus ille fit super hora 14. ab ortu, prout numerus niger subindicat extra Horizontem, Verum numerando a Solis occasu fit ille super hora 19. quod numerus niger significat contactui huius proximus. Neque vero & istud scitu est iniucundum, quoniam ubicumque nigros & albos numeros vides coniunctos vel supra vel prope lineam aliquam horarum ab ortu & occasu, ibi semper si albi horas designant ab ortu, nigri horam ad ortum significant, hoc est, quotquot adhuc ad ortum fuerint horae & vicissim ab illo, si numerus niger horam ab ortu signat, candidus alter horam significabit ad ortum. Simili plane modo ad occasum & ab occasu intelliges istam horarum differentiam, satis, meo quidem iudicio, distincte tibi significatam.

PROB-